

 <p>Ministero dell'Istruzione dell'Università e della Ricerca</p>	<p>Corso Tassoni 15 Via Tripoli 82 TORINO www.lcavour.edu.it</p>		<p>011 7495272 - 011 343527 Cod. Mecc.: TOPC01000C C.F. 80092280017</p>
	<p>topc01000c@istruzione.it topc01000c@pec.istruzione.it segreterialiceo@lcavour.it</p>		

COMPITI PER LE VACANZE A.S.2021-2022

CLASSI SECONDE - LATINO

UNA RITIRATA STRATEGICA

Caesar, certior factus ab Titurio, omnem equitatum et levis armaturae Numidas et funditores sagittariosque pontem traducit atque ad eos contendit. Acriter in eo loco pugnatum est. Hostes impeditos nostri in flumine adgressi magnum eorum numerum occiderunt: per eorum corpora reliquos audacissime transire conantes multitudine telorum reppulerunt; primos qui transierant equitatu circumventos interfecerunt. Hostes ubi et de expugnando oppido et de flumine transeundo spem se fefellisse intellexerunt, neque nostros in locum iniquiorem progredi pugnandi causa viderunt, atque ipsos res frumentaria deficere coepit, concilio convocato constituerunt optimum esse domum suam quemque reverti et, quorum in fines primum Romani exercitum introduxissent, ad eos defendendos undique convenirent, ut potius in suis quam in alienis finibus decertarent et domesticis copiis rei frumentariae uterentur. Ad eam sententiam cum reliquis causis haec quoque ratio eos deduxit, quod Diviciacum atque Haeduos finibus Bellovacorum adpropinquare cognoverant.

(Cesare)

CESARE NON SI FIDA DEI GERMANI E PREPARA LA GUERRA

Hoc facto proelio, Caesar neque iam sibi legatos audiendos neque condiciones accipiendas arbitrabatur ab eis qui per dolum atque insidias, petita pace, ultro bellum suscepissent: expectare vero, dum hostium copiae aufererentur equitatusque reverteretur, summae dementiae esse iudicabat et, cognita Gallorum infirmitate, quantum auctoritatis iam apud eos Germani uno proelio essent consecuti sentiebat; quibus ad consilia capienda nihil spatii dandum existimabat. His constitutis rebus, opportunissime res accidit ut postridie eius diei mane, eadem et perfidia et simulatione usi, Germani frequentes, omnibus principibus maioribusque natu adhibitibus, ad eum in castra venirent, simul, ut dicebatur, sui purgandi causa, quod proelium pridie commisissent, simul ut indutias fallendo impetrarent. Caesar, eos sibi traditos esse gavisus, illos retineri iussit, ipse omnes copias castris eduxit equitatumque, quod recenti proelio perterritum esse existimabat, agmen subsequi iussit.

(Cesare)

 <p>Ministero dell'Istruzione dell'Università e della Ricerca</p>	<p>Corso Tassoni 15 Via Tripoli 82 TORINO www.lcavour.edu.it</p>	 <p>CLASSICO MUSICALE LICEO CAVOUR</p>	<p>011 7495272 - 011 343527 Cod. Mecc.: TOPC01000C C.F. 80092280017 topc01000c@istruzione.it topc01000c@pec.istruzione.it segreterialiceo@lcavour.it</p>
 <p>FONDI STRUTTURALI EUROPEI 2014-2020 PON PER LA SCUOLA - CRESTENZA E LABORIO PER L'APPRENDIMENTO - FSE</p>			

IL PRIMO SCANTRO FRA ROMANI E BRITANNI

Caesar, exposito exercitu et loco castris idoneo capto, ubi ex captivis cognovit quo in loco hostium copiae consedisent, cohortibus decem ad mare relictis et equitibus trecentis, qui praesidio navibus essent, de tertia vigilia ad hostes contendit, eo minus veritus navibus, quod in litore molli atque aperto deligatas ad ancoram relinquebat, et praesidio navibus Q. Atrium praefecit. Ipse, noctu progressus milia passuum circiter XII, hostium copias conspicatus est. Illi equitatu atque essedis ad flumen progressi ex loco superiore nostros prohibere et proelium committere coeperunt. Repulsi ab equitatu se in silvas abdiderunt, locum nacti egregie et natura et opere munitum, quem domestici belli, ut videbatur, causa iam ante praeparaverant; nam crebris arboribus succisis omnes introitus erant praecclusi. Ipsi ex silvis rari propugnabant nostrosque intra munitiones ingredi prohibebant. At milites legionis septimae, testudine facta et aggere ad munitiones adiecto, locum ceperunt eosque ex silvis expulerunt, paucis vulneribus acceptis. Sed eos fugientes longius Caesar prosequi vetuit, et quod loci naturam ignorabat, et quod, magna parte diei consumpta, munitioni castrorum tempus relinqui volebat.

(Cesare)

GRANDEZZA DI TEMISTOCLE

Primus gradus fuit capessendae rei publicae bello Corcyraeo: ad quod gerendum praetor a populo factus non solum praesenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. Nam cum pecunia publica, quae ex metallis redibat, largitione magistratum quotannis interiret, ille persuasit populo, ut ea pecunia classis centum navium aedificaretur. Qua celeriter effecta, primum Corcyreos fregit, deinde maritimos praedones consecando mare tutum reddidit. In quo cum divitiis ornavit, tum etiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses. Id quantae salutis fuerit universae Graeciae, bello cognitum est Persico. Nam cum Xerxes et mari et terra bellum universae inferret Europae, cum tantis eam copiis invasit, quantas neque ante nec postea habuit quisquam: huius enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo milia onerarium sequebantur, terrestris autem exercitus septingenta peditum, equitum quadraginta milia fuerunt.

(Cesare)

 Ministero dell'Istruzione dell'Università e della Ricerca	Corso Tassoni 15 Via Tripoli 82 TORINO www.lcavour.edu.it	 CLASSICO MUSICALE LICEO CAVOUR	011 7495272 - 011 343527 Cod. Mecc.: TOPC01000C C.F. 80092280017
 FONDI STRUTTURALI EUROPEI 2014-2020 PON PER LA SCUOLA - COMPETENZE E AMBIENTI PER L'APPRENDIMENTO - FSE	topc01000c@istruzione.it topc01000c@pec.istruzione.it segreterialiceo@lcavour.it		

DISCORSO IMMAGINARIO DI ANNIBALE ALLE TRUPPE

Cum Carthaginienses in conspectum Alpium pervenissent, magnus pavor eos invasit. Tum Hannibal, contione, vocata, militum animos ad spem erexit. "Cur - inquit - vestra pectora semper impavida repens terror invasit? Memoria tenete totam Hispaniam a vobis occupatam esse, flumen Hiberum superatum ad delendum nomen Romanorum liberandasque omnes gentes orbis terrarum. Cum autem montes Pyrenaeos et flumen Rhodanum, inter ferocissimas gentes, superabatis, pro certo habebatis etiam Alpes a vobis superatum iri. Nunc, tot populis victis, cum Alpes in conspectu habeatis, quarum alterum latus Italiae est, cur putatis fore ut vestra virtus minus quam antea niteat? Qui existimatis Alpes esse? Dico vobis Alpes habitari, coli, pervias esse exercitibus, etiam a Romanis saepe superatas esse. Eaedem olim Gallorum gentibus superandae fuerunt, ut Romam peterent vastarentque. Proinde vobis aut virtute Gallis cedendum est, aut Roma, caput orbis terrarum, itineris finis existimanda".

(Livio)